Stulti homines satis esse putant interfuisse misse, quia dicebant probari deo, per se, opere operati, et non opere operantis, etiam sine ulla nostra dignitate, aut merito. Cum tamen Christus missam instituerit, non propter suam ipsius dignitatem, sed ut nos dignos redderet, nempe si ex vera fide, diligentius passionem suam meditaremur. Nisi enim id fiat, humanum, externum, et inutile quoddam opus ex missa facimus, quantumvis per se sit sancta ac bona. Quid prodest alteri, quod deus est deus, quod cibus et potus quamvis per se quidem sanctus ac bonus est, si illo non utaris, vel si tibi non conveniat. Augustinus. Non sunt bona opera, nisi que per fidem et dilectionem fiunt.